



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Peccatis Et Gratia, Fide, Spe, Et Charitate

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Difficultas I. An veritas prima in dicendo & semper quidem, sit Objectum
formale fidei.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82969](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82969)

DEUS formaret decretum in priori sensu, nihil jam caderet sub fidem, quia nulla esset veritas, quam posset attingere sub suo formali fides. Casu autem quo Deus formaret decretum posteriori modo, adhuc foret fides: quia illud ipsum revelaret Deus, quod in posterum nihil vellet revelare; & si hoc ipsum revelat, habetur sufficiens formale fidei.

ASSERO QUARTO. *Posset Deus facere decretum de non revelanda v. g. Incarnatione directè, quo decreto posito, posset Deus revelare decretum de Incarnatione.*

RATIO quia decretum de Incarnatione directè manifestatur, indirectè autem Incarnatio: quia sic manifestari illam non implicat: quia non fecit Deus decretum de illa indirectè non manifestanda. Et è converso posset Deus facere decretum de non revelando decreto de Incarnatione directè, & hoc casu, posset revelare Incarnationem, quamvis ex illa revelata, sequatur indirecta revelatio, decreti Incarnationis.

ASSERO QUINTO. *Casu quo Deus faceret decretum de non revelanda Incarnatione, & non faceret decretum de non revelando ipso decreto, nulla committeretur implicatio.*

RATIO, quia illa ostendi non potest, neque circa idem versaretur decretum, & non decretum. An autem tunc circa indirectè revelatum possit versari fides decidendum conformiter ad dicenda de revelatione virtuali. *Ex his assertis ad Objectionem.*

RESPONDETUR. Casu quo Deus faceret decretum de non revelando quodpiam, quod in ratione attingibilis à fide possit attribui ad Deum tanquam rationem formalem motivam, illudque decretum manifestaret, tunc pullularet contradictio: quia & non esset attribuibile ut supponitur, & esset attribuibile, quia illud ipsum decretum manifestatum, est attribuibile ad Deum tanquam motivum fidei. Casu autem quo illud decretum non manifestaret, nullamque aliam rem; jam non esset ulla fides. An autem habitus fidei casu quo nonnisi unum objectum attingeret v. g. illud decretum de non revelando, esset ejusdem speciei cum nostrate, dubitari posset. Sed si ex accidenti non posset versari, adhuc esset ejusdem speciei. Casu tamen quod daretur aliqua fides, quæ esset essentialiter nonnisi unius objecti attractiva, indubiè specie à nostra differret. An autem possit dari fides talis? consequenter decidendum, An etiam possit dari intellectus, nonnisi ad unum cognoscendum determinatus, de quo in Animaft.

QUÆSTIO II.

De ratione formali Quæ Fidei.

Quantumvis Ratio formalis propter Quam fidei, & Quæ, eadem sit ut infra videbimus, disceptando tamen discernetur, ob ampli-

rudinem materiæ. Communiter omnes assignant pro objecto formali fidei Veritatem primam hoc est Deum, prout habet rationem veritatis primæ. Fundatur hoc in prima Joan. 5. *testimonium hominis accipimus, testimonium Dei majus est.* Et: *Qui credit in Filium Dei, habet testimonium Dei in se.* Christus ipse fidem Petri in revelationem Patris refert: & ad Galat. 4. S. Paulus suum Evangelium refert in revelationem Jesu Christi, & prima ad Thefal. 2. appellat illud non verbum hominum, sed verbum DEI.

Porro triplex potest formari conceptus de veritate prima. Primo quod sit veritas prima in dicendo, quæ in re est ipsemet Deus, prout necessario verum dicens, & impotens mentiri. Secundo formatur conceptus de veritate prima quod sit veritas prima in cognoscendo, quæ in re est ipsemet Deus, nonnisi, res ut sunt, cognoscens, adeoque impotens falli. Tertio formatur conceptus veritatis primæ, secundum quod est veritas prima in essendo; de qua infra.

DIFFICULTAS I.

An veritas prima in dicendo, est semper quædam, sit Objectum formale fidei.

DICENDUM PRIMO. *Veritatem primam in dicendo esse etiam rationem formalem fidei.*
PROBATUR PRIMO. Si veritas prima in dicendo non esset formale fidei, posset credi antequam posset credi, sed id implicat. Ergo & illud quo sequitur. Sequela probatur. Posse assentiri antequam dicatur, est posse credi, antequam possit credi. Sed si veritas prima in dicendo, non esset etiam motivum formale fidei, possemus assentiri antequam dicatur; siquidem illa dicitur, non esset ratio formalis assentiendi. Ergo si veritas prima in dicendo non esset etiam motivum formale fidei; possemus assentiri, antequam possemus assentiri. Major immediata probatur. Credere est assentiri quia dicitur: hoc enim est definitivè credere. Ergo posse assentiri antequam dicatur, est posse credi, antequam possit credi.

PROBATUR SECUNDO. Si veritas prima in dicendo non spectaret etiam ad rationem formalem fidei, non posset dari ratio cur aliquid credatur: quæram enim cur credas Deum esse verum, & non credas Antichristum salvandum, dicas te non credere Antichristum salvandum, quia id non cognoscit Deus: quia id non promittit, &c. te autem non credere nisi quod cognoscit, quod promittit &c. Deus, quæram extra. Unde tibi constet non cognoscere DEUM, non promississe salvationem Antichristi? & tandem respondere debes, ideo te credere te credere perditionem Antichristi, quia id Deus dicit.

PROBATUR TERTIO. Si dictio Dei, non esset etiam motivum formale fidei: Ergo Deo dicenti, possemus dicere: Nego. Sequela probatur, quia quando aliquid non est ratio formalis motivum

R. P.
THE MLO
ZIANOWSKA
T. B. M. S.
D. VI

motiva ad aliquid, quamvis construatur cum Subiecto possumus dicere: Nego: Ut ostendit Inductio. Nam si quis dicat corrente Petro Petrus currit quia lignum est, bene respondeo Nego, non quidem Petrum currere, sed complexum illud. Quod resolvitur in principium Dialecticum. *Propositio Causalis est vera quando causa est vera*: Et quia illa causa ponitur pro prædicato; prædicatum autem, ut sit verum, debet habere in illo genere quandam identitatem, fallam autem causalis, non habet hanc identitatem. Non possumus autem respondere Deo dicenti: Nego: quia aliàs posset illi dici fallum est. Sicut quando illà adlatà causalis de ligno, dicimus Nego, idem est, ac si dicamus, fallum est, nihil enim negatur nisi fallum. Quod attinet ad Secundam partem tituli, nempe: An veritas sit semper objectum formale fidei, hæc pars etiam affirmatur. Sed ejus probatio pendet ab impugnatione aliarum Sententiarum: quæ adstrunt alia motiva excludendo veritatem in dicendo. *Quod ut fiat. Sit*

Punctum Difficultatis I.

An veritas intrinseca credibilium possit esse motivum formale fidei.

Docet Ripalda disp. 2. de Fide num: 30, Quod objectum formale & intrinsecum fidei, possit esse veritas intrinseca credibilium, præluente tamen ut objecto formali extrinseco, autoritate Dei, quæ doctrina in quantum requirit Auctoritatem primam, coincidit cum conclusione prima, in quantum autem recurrit ad veritatem intrinsecam credibilium. *Contra.*

DICENDUM est. Quod veritas intrinseca credibilium, nullo modo possit esse motivum fidei.

PROBATUR PRIMO quia & esset actus ille fidei & non esset. Esset ut supponitur non esset autem, quia impossibile est esse actum fidei sine motivo, sicut & actum virtutis cuiuscunque, sine motivo illius virtutis, quod resolvitur in hoc principium. Quia actus specificantur ab objecto seu motivo. Sed si veritas intrinseca credibilium moveret fidem, esset actus fidei sine suo motivo: quia veritas intrinseca credibilium non potest esse ullo motivo per modum attestantis, hoc ipso enim non esset veritas intrinseca. Ergo nec potest esse motivum fidei. Cum fides nec definiatur nec concipi possit, sine ordine ad attestationem; quam attestationem veritas intrinseca credibilium quæ talis, non dicit.

PROBATUR SECUNDO. Quia vel aliquorum credibilium veritas intrinseca potest esse motivum assentiendi fidei: Vel omnium. Neutrum dicitur potest. Non primum, quia non est major ratio unius quam alius, non etiam omnium: quia quod non potest esse motivum nobis ullo modo assentiendi, illud non potest esse motivum assentiendi per fidem. Sed nobis saltem aliquorum credibilium intrinseca veritas, non potest esse

ullo modo motivum assentiendi: quia veritas intrinseca in tantum est motivum assentiendi, in quantum apparet nobis connexi terminorum clara & evidens: quid enim aliud? Jam autem quæ est connexio terminorum in ordine ad nostrum intellectum in hoc credibili, Unitas Divina, est Trinitas.

PROBATUR TERTIO. In quantum moveor veritate intrinseca credibilis hujus: Terra est, vel est motivum idem, quando id experior, aut ratione naturali attingo, vel non est idem. Si idem & eodem modo movens: Ergo sicut in experimentali v.g. Scientia, motivum illud veritatis intrinsece, non est motivum Fidei; nec aliàs erit. Si non idem, nec eodem modo movens; Ergo vel non est veritas illi intrinseca motivum: quia hæc est eadem, utpote identificata rei: vel si non est eodem modo movens, ostende differentiam, & quidem sufficientem ad fidem.

RESPONDEBIS ex Ripalda. Quod virtualiter illic respiciatur semper auctoritas Divina quæ formalis est fidem.

CONTRA quia hic non disputatur de virtuali illa respicientia: Concedimus enim illam formalis esse fidem. Sed queritur de illa parte, quæ est veritas intrinseca credibilium, quomodo illa formalis est fidem?

OBJECTUM PRIMO Ripalda. Objectum formale immediatum & intrinsecum Conclusionis formalis, potest esse veritas ipsius conclusionis objectiva, quin immediatè & intrinsecè assensus Conclusionis, respiciat præmissarum objecta: at assensus mysterii revelati elicited per fidem, potest esse Conclusio formalis illata per discursum. Ergo objectum formale & intrinsecum assensus fidei, potest esse veritas ipsa mysterii revelati.

RESPONDETUR. Negando Majorem propter illum terminum *Conclusionis formalis*: hæc enim non potest esse sine respicientia præmissarum; quia non potest esse, quin resolvatur in *ly*. *Eo quod hæc sint* ut scitur ex Logicis; nec haberet tunc Conclusio per quid distingueretur ab assensu simplicis propositionis: unde foret materialiter non nisi Conclusio. Negatur etiam Paritas quia cum utrobique sit eliciendus assensus scientificus, cumque ille quæ scientificus est, non determinet sibi præmissas, sed & cum illis, & sine illis haberi possit, stante ratione scientiæ, ideo poni poterit etiam sine præmissis, propter solam veritatem intrinsecam. Jam autem assensus fidei, cum non sit assensus scientificus, ideo intelligi non potest cum motivo solo, vel eodem modo concurrente scientifico. Non videtur autem quomodo veritas intrinseca non sit motivum præcité scientificum, vel quomodo non eodem modo concurreret etiam ad fidem. Si autem eodem modo concurreret ad fidem, quo concurrat ad scientiam, quo modo extraheret illum assensum, ad rationem fidei?

OBJECTUM SECUNDO. Assensus Trinitatis sequentes

quentes primum ejus assensum, eliciuntur à Catholico virtute infusa fidei, ac si assensus non semper respiciunt immediatè Auctoritatem Dei. Ergo respiciunt intrinsecè veritatem intrinsecam mysterii, quid enim aliud? Minor probatur ipsa experientià: quia immemores revelationis recitamus Articulos fidei. Imò quamvis Deus negaret omnem concursum ad memoriam revelationis, si ea Mysteria proponerentur, continuò crederemus; sicut assensum scientificum damus objecto sine discursu, quem dederamus cum discursu.

RESPONDETUR, Majorem in primis falsam esse universaliter: potest enim Catholicus etiam naturali fide assentiri Mysterio, excitabuntque tales actus charitatem non nisi naturalem, ita ut ille assensus, tunc non nisi revocandus sit ad fidem, quando est sicut oportet; quæ distinctio non reperitur in actibus scientificis.

Ad intentum difficultatis. Negatur Minor, recitamus autem articulos fidei, immemores revelationis, memorià quæ possit fundare ut ajunt, actum reflexum, licet simus memores implicitè illius revelationis, seu tanquam definitivi prædicati inclusi in definito, licet non evoluto.

RATIO. Quia quando recitamus Credo in Deum, si quæretur ex nobis quare credis? revolveret se hic actus ex vi præsentis quam tunc habet dispositionis, in hoc principium: quia Deus dixit. Rursus si quæretur quid sit Credo? in supposita materia respondebitur per definitionem: assentior quia revelatum. Verè ergo in illo Credo, tanquam in definito, Dei dictio tanquam definitivum prædicatum includitur. Et quamvis Deus neget concursum ad memoriam illam revelationis fundativæ ut ajunt reflexionis, & evolutive se habentis, non potest tamen negare concursum ad memoriam revelationis inclusivæ in ipso Credo, tanquam definito, casu quo velit esse actus fidei. Imò etiam in assensu scientifico, si ille sit similis præhabito, debet reperiri discursus virtualis saltem.

OBJICIT TERTIO idem. Priusquam intellectus assentiatur alicui mysterio, proponitur per apprehensionem auctoritas Dei revelans Mysterium, eaque apprehensione elucescit tum veritas intrinseca existentie revelationis, tum veritas intrinseca existentie mysterii; At præmissa apprehensione illà, potest intellectus assentiri veritati intrinsecæ Mysterii, quin eo assensu veritati revelationis assentiatur, quod ipsum probatur. Ea ratione cum sola apprehensione Mysterii non poterat intellectus assentiri Mysterio: quia in ea sola, non innotescebat veritas Mysterii: at solà adjuncta apprehensione revelationis Divinæ innotescit veritas Mysterii, quæ antea latebat. Ergo ea sola adjuncta, poterit assentiri, veritati sibi propositæ, Mysterii.

RESPONDETUR, Negando Minorem. Probatio illius Transitur quia non inferit Negatum,

& si admittit apprehensionem revelationis admittit assensum, non ob Veritatem intrinsecam, sed ob Revelationem factam ita ut id cui assentimur, sit veritas intrinseca, propter quod autem assentimur, sit revelatio quæ apprehenditur.

INSTAT PRIMO. Potest aliquis assentiri Deum esse Trinum quia est Trinitas. Ergo potest aliquis assentiri mysterio, propter veritatem intrinsecam.

RESPONDETUR, Concedendo totum: Quia ille assensus non esset fidei, sed Theologicus, quid non debet semper immediatè inniti revelationi. Cæterum si quis diceret Credo esse Trinitatem, quia est Trinitas, esset illic actus fidei, sed supponendo revelationem inclusivam in ipso Credo, faceretque hunc sensum. Assentior: quia Deus dicit se esse Trinitatem, quia est Trinitas ut ille dicit.

INSTAT SECUNDO Ripalda. Quamvis Deus decerneret negare concursum ad assentiendum revelationi: potest intellectus assentiri Mysterio quod sibi proponitur revelatum à Deo, & tamen tunc attingeretur nonnisi veritas intrinseca.

RESPONDETUR, Si Deus neget concursum ad assentiendum clarè & evolutive revelationi, poterit adhuc assentiri fides: sufficit enim assensus implicitè revelationi: secus si Deus denegaret concursum ad assentiendum etiam implicitè revelationi, & tanquam definitionis termino, includo in definito: Jam enim tunc, esset nonnisi assensus Theologicus.

INSTAT TERTIO à Pari PRIMA PARITAS. Existentiæ coloris non potest intellectus assentiri intuitivè absente luce, ac vero luce præsentè assentiri potest, quin eo assensu, assentiatur existentie lucis, sicut absente luce, potest assentiri existentiæ lucem. Ergo similiter poterit assentiri post revelationem propositam Mysterio, etiam ante illam assentiri non poterat, quin eo assensu revelationem attingat.

RESPONDETUR, Negando consequentiam. Quia in casu Antecedentis assensus ille scientificus, habebit præcisum sui specificativum, veritatem intrinsecam. Jam autem assensus huiusmodi si fieret propter veritatem intrinsecam Mysterii non haberet præcisum sui specificativum, quia haberet idem & eodem modo concurrens motivum, ac concurret ad assensum scientificum.

SECUNDA PARITAS est. Ex Solo amore simplici Bonitatis Divinæ potest moveri homo ad detestationem efficacem peccati oppositi bonitati Divinæ, quam detestatio intrinsecè & immediatè non attingit. Ergo similiter poterit intellectus, ex sola apprehensione Auctoritatis Divinæ revelantis Mysterium, moveri ad assensum veritatis Mysterii, non respicientem intrinsecè Auctoritatem revelantem DEI.

RESPON

R. P.
THE MLO
ZIANOWSKA
Tom 1. 1. 1.
D. VI

RESPONDETUR. Paritas non tenet. Quia unaqueque virtus habet & actus profecur vos, & fugere, profecur amor bonitatem Divinam, fugit opposita illi, adeoque utrobique habendo suum specificativum. Specificativum autem suum non haberet fides, si veritatem intrinsecam pro motivo haberet. Deinde quod attinet ab antecedens, licet detestatio utcumque non attingat bonitatem Divinam, attingit tamen detestatio amorosa. Cujus specificativum hic & nunc, est bonitas Divina.

OBJECIT QUARTO. Proposita per apprehensionem suavisimam Auctoritate Dei revelationem Mysterium, potest voluntas imperare assensum Mysterii, non imperato assensu revelationis, consequenter respicitur tunc veritas non nisi intrinseca Mysterii. Probatur. Quia voluntas potest Deo prestare obsequium, non solum in assensu revelationis, sed etiam immediate in assensu Mysterii. Imo hoc obsequium potius exigitur in assensu Mysterii. Nam voluntas obsequium non prestat in eo assensu, qui non est subditus libertati ipsius; at tota libertas voluntatis, revocatur solum in assentiendo revelationi; cui posito assensu, non potest dissentiri Mysterio: quia lumine naturæ notum est, revelationem Divinam esse necessariò conexam cum veritate Mysterii. Quod autem hoc obsequium, sit etiam situm in assentiendo immediate Mysterio revelato. RATIO est. Tum quia obsequium prestatum Auctoritati creatæ, non tam consistit in assensu testimonii ipsius, quàm in assensu rei propositæ. Tum quia Hæreticus contemnit Auctoritatem Dei non solum dissentiendo revelationi, sed etiam immediate dissentiendo Mysterio. Ergo & Catholicus poterit revereri Auctoritatem Dei non solum assentiens revelationi; sed etiam immediate assentiendo Mysterio, ob revelationem simplici apprehensione propositam.

RESPONDETUR. Quod possit voluntas imperare assensum Mysterii, non imperato explicitè assensu revelationi, imperato tamen implicitè & non clare, in illo termino, *Credo*. Licet autem voluntas prestat obsequium etiam in assensu fidei, qui exhibetur Mysterio, non excluditur tamen unquam assensus revelationi implicitè. Deinde negatur quod obsequium creatum, magis restat in assensu rei dictæ, quam Auctoritati dicentis, cum taxa assensus rei propositæ, sit magnitudo assensus ad Auctoritatem, quæ negatâ negatur ipsum principium quodammodo eritque error in principio. Negatio autem assensus ad rem dictam, erit negatio particularis, & quasi Conclusionis. Negatur, item quod in humanis, rei propositæ credendo assentiri possimus sine motivo, *quia dictum*. Negamus item hæreticum in tantum esse hæreticum: quia dissentitur rei propositæ, sed quia dissentitur rei propositæ, prout dictæ à Deo. De illa quæsti-

one. An sit libertas in assentiendo Mysterio supposito assensu ad revelationem quid sit dicendum, ex alibi conclusis colligetur. Esse scilicet liberum illum assensum quia determinatio ad assentiendum Mysterio (supposito assensu ad revelationem), est ex suppositione consequenti, & exercitio libertatis, quod exercitium libertatis non auferit sed fundat libertatem. Imo si liberè non nisi revelationi assentiamur, majus erit obsequium assentiri illi, quam Mysterio, contra quàm velit Ripalda.

TANGIT hoc Argumentum. An ad assensum fidei sufficiat simplex apprehensio revelationis, non assentiendo revelationi. Et quidem fieri potest assensus Mysterio non assentiendo illi revelationi explicitè, quia non est ratio cur implicitè factus assensus, non sit sufficiens, non tamen iste implicitus assensus excludi debet: simplex enim apprehensio revelationis non potest esse formalisativa fidei; est enim indifferens ad assentiri & dissentiri sicut & propositio malitiæ. Ergo se sola, in ratione fidei, non potest formalizare assensum. Deinde Fides, est assensus *propter*, adeoque habens motivum, habetque se per modum secundæ operationis, secunda autem operatio, non est simplex apprehensio.

OBJECIT QUINTO varias auctoritates. Sed illæ non ostendunt quod aliquid independenter à dictione Divina formaliter pro sua parte fidem; sed solum ostendunt fidem extendi etiam ad objecta quæ proponuntur, & non ad solam revelationem, nec ad id solum, quia Deus verax est.

Punctum Difficultatis 2.

An promissio Dei prout condistincta veridicitati, formaliset fidem.

DICENDUM. *Quod non.* Est conclusio contra Ripalda. Qui licet concedat moveri fidem veritate in dicendo & cognoscendo, tamen d. 2. n. 74. dicit plures assensus fidei, illis non moveri, sed sola fidelitate Dei in promissis, si hæc distinguitur à veracitate.

PROBATUR PRIMO Conclusio. Quia illa fidelitas prout veridicitati condistincta, & esset motivum fidei quæ talis ut supponitur, & non esset: quia ex motivo illo fidelitatis, non posset dicere homo *Credo*. Quod ipsum probatur, quia *Credo*, definitivè; non est utcumque assentiri certò: quia aliàs etiam Visio Dei, quæ est assensus certus foret fides: confunderemusque genericum prædicatum, quod est assensus certus, cum specifico, quod est fides Divina. Item: *Credo*, non est assentior certo inevidenter: quia cum ipsum assentiri certo, non dicat formalitatem *Credo*, quæ talis, inevidentia item est prædicatû, quod nihil dicit de prædicatis intrinsecis, adeoque constitutus ipse *Credo*: est enim inevidentia, non nisi proprietates consequens ad *credo*. Ergo conjunctio hujus inevidentiæ cum assentior certò, non formalisabit, nec constituet fidem.

(b) 3 Non

Non etiam Credo, definitivè est, assentiri certo propter locum extrinsecum: quia formalitas præcisa loci extrinseci, nihil importat de specifico ipsius Credo: locus enim extrinsecus, est prædicatum commune, adeoque etiam ad opinioniones & assensus non certos applicabile. Ergo conjunctio illius tanquam alicujus generis cum alio generico, hoc est, assentior certo, non formalisabit Credo: quia duæ rationes genericæ, non possunt specificare ultimo, nec quidquam aliud ostendi potest, quod dicat ly Credo, nisi assentior certo propter testimonium Dei. Ex quibus omnibus. Probatur illa Sequela. Quando homo non potest dicere assentior certo, quia Deus testatur, non potest dicere Credo. Sed si moveatur motivo, quod est promissio, conditionata à testimonio vel dictione vera, non potest dicere, assentior quia dicitur, sed quia promittitur, prout promittitur distinguitur ab ipso dicere vel testari verè. Ergo si moveatur motivo quod est promissio, non potest dicere Credo.

PROBATUR SECUNDO & Suppono. Promissionem spectare etiam ad spem, quosupposito sic formatur Argumentum, vel eodem modo promissio illa movet Spem ac Fidem, vel non eodem. Si eodem. Ergo Fides, est Spes, habens scilicet motivum specificativum spei. Ergo non est Fides, & illa Spes erit Fides, dabiturque prædicatorum commissio; si non eodem modo sumpta promissio movet Fidem, non poterit quidquam aliud assignari nisi veritas, quam semper intendit intellectus.

PROBATUR TERTIO quia ille assensus vel est certissimus ex parte motivi vel non. Si non est certissimus. Ergo non est talis, de quo hinc quaeritur. Si autem est certissimus, debet ostendi unde difumat certitudinem? Unde enim certo assentitur homo. Deum esse fidelem in promissis, non ex eo quia dicit se talem: hoc enim negat Ripalda. Non ex eo: quia demonstrat Ratio illum esse talem: quia hic assensus non esset ex suo genere certissimus, nec esset fidei. Non ex experientia illius fidelitatis: quia experientia hæc non nisi moralem certitudinem fundare potest. Ergo recurrit ad hoc debet, quia dicit se esse fidelem, & est in dicendo verax. Ergo non movebitur tunc anima ad fidem, independentè à motivo veridicitatis primæ. Quod Argumentum vide infra ad instantiam primam.

OBJECIT PRIMO. Assensus quibus persuadeamur futura quæ à Deo promittuntur faciendæ, eliciuntur à fide Theologica. Idque probat authoritas S. Pauli, qui agnoscit ad Romanos 4. fidem Abrahamæ, quæ tamen innitebatur promissioni Divinæ, actum item spei, præcedit fides Theologica, quæ certè innititur promissioni Divinæ. Denique quia assensus quo persuadeor, fore bonum à Deo promissum, quia à

Deo promissum est, omnino est certus & obiectus, innixus verbo Dei. Ergo cum non spectet ad spem & charitatem, spectabit ad fidem. Sed hi assensus non moventur à veracitate & sapientia Divina. Ergo dantur assensus fidei Theologica, qui non moventur à Sapientia Divina. Minor in qua est difficultas probatur pluribus Auctoritatibus Scripturæ. Et Augustini lib. 2. de Civit. cap. 77. & S. Thom. Lecti 3. In 4. ad Rom. ubi dicit. S. Paulus assignasse rationem firmitatis fidei Abrahamæ, considerationem omnipotentia Dei. Tullius etiam pro Sexto Roscio habet. Nemo credit, nisi ei, quem fidelem putat.

RESPONDETUR. Recitata ab illo Auctoritates, non concludunt intentum, ad Hebr. 10. nihil aliud dicitur, nisi quod res promissa, sub eadem certissimam & indeclinabilem cadat: non autem quod motivum illius quæ talis, sit promissio, & ibidem 11. solum vult, quod Deus promittens, sit subiectum quod creditur, ejusque fidelitas allicitivum ut promptius credatur. Unde & Sara fidelem esse credidit Deum, qui repromiserat. Sed non ideo formaliter credidit, quia repromiserat. de hoc enim nihil habet S. Paulus. Et ad Thesalon. & 2. ad Timot. 2. nihil aliud habet, quam quod Deus fidelis, sit subiectum circa quod versatur fides. Aug. Curatus loquitur de invitativo & allicitivo fidei; quod etiam intelligit S. Thom. per illos terminos *Ratio firmitatis*: experimur enim nos invitari ad assentiendum ei, quod dicitur, ex motivo, qui dicitur: si ceteroqui sit fidelis, & potens promittens. Quamquam sæpe nomine fidelis venit veridicus. Unde infideles Republice dicuntur, qui non dicunt veritatem v.g. de conjuratis.

INSTAT PRIMO Ripalda. Pro minori Argumenti. Eo ipso quod Deus fidelis & potens aliquid promittat, seclusa apprehensione alterius attributi, possumus persuaderi futurum esse infallibiliter quod promittit: persuadentur enim, illi jam non defuturam voluntatem potentiamque implendi: ratione enim horum constituitur Deus cum existentia boni promissis attributa autem connexa cum existentia rei promissæ, sunt media sufficientia ad persuadendam existentiam futuram promissi.

RESPONDETUR. Fidelitatem promissionum Divinarum dupliciter à nobis spectari possit. Inprimis quæ importat non nisi actum internam voluntatis Divinæ. Deinde secundum quod illa promissio manifestata est. Priori modo sumpta, est incognoscibilis viatori, adeoque nec actum illius motiva. Secundo modo accepta, movere potest fidem. Sed partiamur in promissione manifestata duas formalitates, promissionis & manifestationis, præcisa formalitate promissionis, ut dixi non movet fidem. Ergo movebit ratione alijs formalitatis: quia manifestata

R. P.
THE MLO
zia nowsk
Tbm Me
D. VI

festata: si autem movebit quia manifestata, & non movebit veridicitas Divina, tunc, ut supponitur, & movebit: quia manifestatio illa, non potest aliter movere fidem, nisi dicendo verum; quo enim alio modo? *Ex quibus jam.*

COLLIGITUR RESPONSIO. Eo ipso quod Deus fidelis & potens aliquid promittat, promissione nobis manifestata per veridicitatem, seclusa apprehensione cujuscunque alterius attributi, possumus persuaderi futurum esse infallibiliter id, quod Deus promittit. Secus si non manifestetur promissio per veridicitatem, & non involvendo attributa connexa cum promissi manifestatione per veridicitatem. Deinde eo ipso quod Deus fidelis & potens aliquid promittat, noscaturque certò illius fidelitas & potentia, persuademur ita futurum. Secus si non constet certò de illius fidelitate, & potentia; de qua negamus certò posse constare, nisi ratione motivi.

Quia dixit. Resolvatur enim ut placuerit illa creditio in Syllogismum fidelem, seu qui formaliter vel virtualiter formatur in omni actu fidei, indubiè in tali Syllogismo ponetur hic terminus. Deus est fidelis & potens, cujus assensus cum non possit fieri ex sola promissione, resolvitur in veracitatem divinam: Ergo non illà exclusa ut voluit Ripalda, fiet tunc assensus fidei. Et certe ponatur hic Syllogismus. Deus est fidelis in promissis. Sed hoc promittit. Ergo hoc fiet. Unde illa major constabit; non ex eo quia promittit si fore fidelem: forte enim mentitur promittendo se fore fidelem. Ergo debet recurrere ad veridicitatem. Minor etiam illa. Sed hoc Deus promittit. Unde tibi constat, non quia dixit: quia querere restat; nescis an verè dicat quod promiserit. Unde & hic recurrere debes ad veridicitatem.

INSTAT SECUNDO Idem. Ut credatur promissionibus humanis sufficit hominem promittentem apprehendi fidelem & potentem exequi promissa. Ergo & in Divinis idem dicendum.

RESPONDETUR. In primis Antecedens falsum esse, quia etiam in humanis Ly *Credo* resolvitur in *quia dixit verè*. Paritas etiam non tenet: quia in humanis ut credatur promissio, non debet fieri assensus certissimus, quod promittens sit fidelis. Secus est in fide: qui assensus certissimus, quod Deus sit fidelis, cum non possit haberi nisi propter *quia dixit veritas prima*, sit ut veridicitas Divina, debeat esse resolutorium illius assensus.

INSTAT TERTIO. Deus videns suam omnipotentiam & decretum efficax de existentia rei, videt rem futuram infallibiliter. Ergo etiam homo sciens Deum omnipotentem & decernere rem dare, certò sciet dandam esse.

RESPONDETUR. Consequens esse de subjecto non supponente. Negatur enim, quod independenter à fide, innitente veridicitati, possit nosci notitià fundante assensum certissimum,

Deum esse fidelem. Disparitas etiam est, quia in illo actu Divino, non involvitur quidquam quod haberi non possit ex visione Omnipotentia & Decreti. Jam autem actus *Credo*, ex vi definitionis, involvit aliquid, quod non importat fidelitas. Quia involvit *ly dicitur verè*; quæ ratio non habetur in pura promissione.

OBJICITUR SECUNDO. Esse discrimen inter promissionem Divinam & dictionem quia dicitio seu testificatio connectitur cum re asserta medio iudicio intellectus. Unde ad hoc requiritur, & veridicitas & sapientia. Promissio autem connectitur cum re promissa medio affectu voluntatis; requiritque & fidelitatem & potentiam.

RESPONDETUR. Concedo esse inter hæc duo disparitatem. Negando tamen ex dictis, utrumque horum habere vim formalisandi actum *Credo*.

OBJICITUR TERTIO. Demus hominem in rebus assertis mendacem & ignarum, fidelem verè & potentem in promissis. Is quidem erit indignus fide in iis quæ testificatur; dignus in iis quæ promittit. Ergo & fidelitas & potentia possunt formare promissorum fidem, seorsim à veracitate & scientia.

RESPONDETUR. Etiam in humanis tunc non fore fidem rigorosè, quia illa definitivè est assensus: *Quia dicitur verè* sed fore non nisi spem. Deinde paritas non tenet: quia non repugnat in humanis assensus sufficiens, antecedens actum spei, quamvis non sit ille actus Creditio. Quia autem non potest haberi in via, assensus intellectualis certissimus, nisi qui sit fidei; posito quod detur certissimus assensus, hoc ipso debet esse fidei, quæ fides, quia ex dictis non potest aliunde formari nisi propter motivum *quia dicitur verè*, hoc motivum ab illo actu respici debet, cum tamen censet Ripalda, non respici ab illo actu fidei, illud motivum.

Punctum Difficultatis 3.

Quomodo formandus sit Conceptus veritatis prima in dicendo?

DICTUM supra: Si in respectu veritatis prima in dicendo, erit Deitas ipsa, quæ est principium non mentiendi, sed dicendi conformiter ad mentem. Si autem spectetur veritas prima in dicendo, prout subest nostris conceptibus, erit formalitas quædam perfectionis, pullulans ex Deitate, nata principiari locutionem, non nisi conformem menti.

ROSMEY ut ostendat veritatem in cognoscendo (de qua mox) non spectare ad motivum fidei; ita discurret.

Ponit duas has veritates, nempe in dicendo & cognoscendo distinctas esse; concipiuntur enim per ordinem ad diversa connotata. Et quia si Deus non foret verax in dicendo, non sequeretur per locum intrinsicum, quod non fo-

ret verax in cognoscendo, infertque exinde veritatem Dei in dicendo, non posse ferri extra id quod est verum in re. Sicut actus prosecutionis non potest ferri extra id quod est bonum.

Quare licet per impossibile Deus cognoscat rem aliter quam est, & velit illam revelare, non posset id facere; quemadmodum si per impossibile existimaret chimeram esse possibilem, nihilominus non posset illam producere; quia est extra objectum adæquatum omnipotentia illius; ita ex proportionem, nec posset dicere falsum, quia falsum est extra objectum adæquatum veritatis in dicendo. Unde per illum veritas in dicendo, est veritas prout determinata, dicere, non nisi ut est in re.

DICENDUM est. *Non rectè predicto modo formari Conceptum veritatis primæ in dicendo.*

PROBATUR PRIMO. Quia sic sumpta veritas, & esset ut supponitur formaliter veritas in dicendo; hoc enim habet explicatio Rosm. & non esset, quia de Divinis conformiter formamus conceptus, seclusis imperfectionibus, ac de Creatis, ut ostendit Inductio, probatque ratio. Quia semper incipit nostra scientia à manifestioribus: manifestiora autem nobis sunt creata. Cumque id fieri debeat per discursum, debet assumi notius, quod est quid creatum, ut deviniatur ad ignotius, quod est increatum. Porro veritas in dicendo in Creatis, non desumitur in ordine ad hoc, quòd verum in re dicat, sed quòd non mentiatur, seu quòd non dicat difformiter ad mentem. Ipsa item oppositio veridicitatis ad mentem, quod est contra mentem initio, ostendit quod veridicitas desumatur ex conformitate ad mentem. Unde quamvis aliquis dicat conformiter ad objectum, & non conformiter ad mentem, dicitur adhuc mentiri, licet non dicat falsum sed falso. Hæcque acceptio vocis est etiam inter Recentiores ex quibus Ripalda explicans quid sit veritas in dicendo disp. 2. Num. 8. ait: *Veritas in dicendo quâ Deo repugnat fallere, aliud nobis, quàm ipse iudicat, suadendo.*

PROBATUR SECUNDO. Tum quia illa veritas & diceret conformitatem cum rebus quâ veritas in dicendo est, & non diceret. Diceret quidem ut supponitur non diceret autem: quia quòd veritas in dicendo quâ talis dicat conformitatem cum rebus, ex nullo illius prædicato intrinseco habetur, cum salvari possit per præcisam conformitatem cum mente.

Tum quia Dictio illis competit, quæ supponuntur noscere intellectivè unde omnia bruta dicuntur muta, quamvis barriant, balent, gloucitent, quia in illis, non supponitur notitia Intellectiva. Ergo si illa veridictio est dictio, non poterit esse dictio, quin præsupponat ex conditione ipsius dictionis, notitiam seu mentem. Cur ergo dictio quâ talis, per ordinem ad res ita se habentes sumetur? Tum quia formale fidei, debet tale poni, quod sit secundum dignitatem

assensus certissimi. Unde si daretur aliqua pica vel psittacus, qui non posset fallere, seu falsum dicere; assensus propter verba illius non esset assensus secundum dignitatem assensus certissimi: & tamen talis non nisi veritas, ponitur à Rosmer, pro motivo fidei.

Quod autem dicit Rosmer, ad credendum Deo requiri locutionem, quæ sit expressio mentis loquentis, ad infallibilitatem tamen fidei non requiri, ut sit expressio mentis: quod inquam dicit. Non convincit. Quia si ad fidem non requiritur expressio mentis; Ergo ad fidem quâ talem sufficit certitudo, qualem adfert ille psittacus: quia ille etiam non posset nisi verum dicere, seculoque prædicato Deitatis, quæ præcise per illum non resolvit fidem: tale erit motivum fidei per Rosm. quale motivum esset garrulus ille psittaci.

PROBATUR TERTIO. Ideo talis veridicitas ponitur à Rosmer, ut sit sola resolutorium fidei: non potest autem esse: quia si quæretur, quare non nisi verum dicit? non tantum potest recurri ad ejus naturam; sed etiam, quia mens illo verbo expressa, conformatur etiam objecto. Ergo & poterit in hoc resolvi illa veridicitas. Ergo & resolveretur. Ad eum modum: quo, quia pro ratione possum adferre cur homo sit risibilis: non tantum quia est risibilis, sed etiam quia est admirativus, fit ut admirativum, sit in quod, resolvi ut risibile.

DIFFICULTAS II.

An veritas in Cognoscendo sit etiam formale Fidei?

DICENDUM est. *Veritatem primam in cognoscendo ingredi etiam rationem formalem fidei.*

PROBATUR PRIMO communi argumento. Fides nostra debet esse summè infallibilis, & talis cui nullo modo subesse possit falsum, ut infra constabit. Ergo debet habere pro motivo formali summam veritatem, non solum in dicendo sed etiam in cognoscendo. Consequentia probatur. Quia non potest aliquis moveri ad fidem summè infallibilem, nisi ipsius restituantur Auctoritas quâ movetur, sit talis, ut sit impossibile illam falli & fallere: nam si alterutrum ex istis desit, adeoque si non posset quidem ipse decipere, posse tamen decipi, non immeritò deceptio timeretur. Sed Dei Auctoritas falli non potest. Ergo ad illam spectare debet, etiam veritas in cognoscendo.

PROBATUR SECUNDO. Id ingreditur formale fidei, quod pro ratione credendi adferri potest. Sed veritas in cognoscendo pro ratione credendi adferri potest: quia si dicat mihi Deus: Crede; possum illi dicere quare? respondebit Deus: quia ego te non fallo, posset reponere Creatura, quamvis non velis me fallere, nescio an res ipsa ita se habeat, & tunc responderet Deus.

R. P.
THEMLO
zia nowsk
Tbm de
D. VI